IVO
COR PAVPERVM
ORATIO HABITA
AD S. ROM. ECCLESIAE
CARDIN.
A GABRIELE BENIO
R O M A N O
Seminarij Rom. Clerico.

34-6-E-8-
13
70
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ,
Apud Franciſcum Caballum. M. DC. XXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Google

EMINENTISS. PRINCIPI

FRANCISCO
CARD. BARBERINO
S. R. E. VICECANC.

VRBINATIVM LEGATO.

GABRIEL BENIVS FELICITATEM.

VT cordata ſit oratiuncula mea de IVONE pauperum corde dicta, non potuit non ad Te confugere PR. Em. qui humanitatis incredibilis, niſi de Te prædicaretur, artificio vnus corda omnium habes in manu, & quidem dextera, atque omnium viuis in cordibus, quia beneficijs tuis ſpiritus omnium es. Accipe cum nouo hoc corde, quod ad aram facilitatis tuæ myſta nouus non nouus cliens addico, oppigneratum Tibi iam pridem meum, meorumque cor, puto non iniucundum munus, quando aliquid tui ſumus Vrbinatium genus, qui Cor es omnium noſtrum. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

VOLVISSET vtinam immortalis munificentiæ Deus, vt quam liberalis in pauperes, atque auri profuſus IVO fuit, tanta mihi ſuppeteret vbertas diceadi, copiaq. ſermonis, & acceſsione cum pari numeroſior oratio proflueret Em.PP. Equidem ſperarem compoſitum ad Iuonis ingenium oratorem non profundere voces; ſed aurum, aut certe ſi voces, omnino aureas & Herculis Gallici ſonis longe meliores, quando ille corde per aures potitus eſt, Iuonis ego ad mores aurifer per aurum illuſtre præſidium vitæ! vitæ originem cor inſtillarem. Verum quoniam ab ea dicendi felicitate ſentio me pauperrimum, æreaq. ſum lingua, vel ferrea, & eo nomine de Iuonis ditiſſima beneficentia, & aurea liberalitate non poſſum dicere, vt molliorem habeam, & copioſiorem linguam, Iuonem ſaluto cor pauperum. Quippe amoris lingua cor eſt tum diſerta magis, cum magis tacite beneficia, ſi non verba facit; & cui pro facundia fœcunditas eſt recte factorum. Appoſite verò nouum propono cor in ea Vrbe, quæ cor eſt orbis, & illam ante Purpuratorum Principum, Iudicumque panegyrim, quæ vel ſpiritus eſt, vel multiplex cor vniuerſitatis. Molitrix ſapientiſsima rerum natura, dum præclaram humani corporis fabricata molem eſt, cor videlicet principem, moderatoremque membrorum omnium medium collocauit. An vt ne patente hoſtium iniurijs vitæ fonte facilè vita omnis areſceret? An vt oſtenderet conſultiſsima mundi Dædala media tutiora ſummis eſſe? An demum vt illuſtrem affinitatem cordis cum Sole, neque

Digitized by Google

diſsimile munus demonſtraret, cum ſapienter, & ingenioſe pronunciatum ſit Solem eſſe mundi cor mobile, nec minus dicatur ſolide cor in humano corpore Solem videri nulla vertigine circumrotatum, & repetita cadendi, naſcendiq. viciſsitudine prorſus immunem. Et mirabimur Aud. Iuonem inter pauperum cœtus commorari, pulcherrima calamitoſorum hominum corona redimiri, adeſſe rerum omnium egenis, in circumfuſa quærentium opem multitudine medium viuere? Illum Diuinus Amor magnus artifex prodigiorum in pauperum cor immutauerat, debuit eam Viro ſedem imputare, quam cordi natura tribuerat. Sanè moueri ſe loco paſſus haud vnquã eſt, qui ſplendido numquam caruit inopum comitatu, niſi placeat appellare ſeruitium, cum & cordi membrorum vniuerſitas famuletur, & tot habeat Chriſtianus heros in expugnatione cæli ſtipatores, quot cæli deſiderio dominos, ac veluti principes ſuos præſtita nauiter opera deueneratur. Quoniam vero cordis in reliquos artus imperium indulgentiſsimum eſt, & amantis multum inſtar habet, dominantis exiguum; quod imperandi genus in amoris regia diſcitur, adeoq. libentiſsime, quo membra reliqua cogitant, feratur cor, par eſt, vt Iuo, quo pauperum fiunt concurſus, illo maturrime conuolet, magnoq. corpori robur additurus, ac vitam ſe miſceat. Ergo conferta pauperum multitudo ſiſtitur ad Tribunal? Intermicat Iuo. Raptatur ad carceres, quia talis non fultus aureis, infirmus inopum grex? Medius Iuo proripitur tanto arctioribus vinculis obſtrictus, quanto actius illigat mitiſsimus amor. Vbique locorum, quacumque fortuna præſto pauperibus eſt gemino nomine ſimillimus cordi, cum quod ita aſsiduo, fructuoſoq. motu, dum

plu-

Digitized by Google

plurimis placidiſsime inquies opem fert, multiplex appa- ret, tum quod procliuior in ſiniſtram fortunæ partem eiu- lantium inter turmas, & ſua damna lamentantium cum li- quidiſsimæ ſenſu voluptatis inuehitur. Ac mihi quidem Iuonem contemplanti lacrimoſis immixtum cœtibus, & ſuorum lacrimis ſtipatorum rorantem ſuccurrit confiden- tius appellari poſſe cor pauperum, quando illorũ lacrimis, veluti aliquo ſanguine innatat; ſcilicet noſtra quoq; memo- ria ſanguis erãt lacrimę de querulis, oculis, quaſi de gemino vulnere decurrẽtes, & quæ lacrimæ ſunt amoris ſanguis, nõ poſſunt non gerere vices eaſdem doloris in regno, vt vere ſanguis, & ſoboles amoris ſit ab amore numquam diſsitus dolor. At imber ille cæruleus, & amara tempeſtas conci- dentium lacrimarum videatur neſcio cui non ſine procel- lis ingratum mare; qui vero medius emicat Iuo, gemma patrium in ſinũ vndarum abdita prædicabitur. Nihil mo- ror; ipſum etiam cor ſanguinei, ſi non rubri freti lectiſsi- mam gemmam haud temere compellaueris. Tu vero lu- ctum omnem, mœroremq. depone miſerabilis inopum ma- nus; neque tibi poten[illegible]rum à pertinacia metue, quæ ab Iuone tuo videlicet corde non animaris modo, ſed & obar- maris. Equidem cum illum video cilicino panno inuolu- tum, ſetoſum, aſperum, & animi ſplendida demiſsione contractum, ſatis intelligo, ſuperq;, quantos animos faciat artubus ſuis hoc eſt pauperibus, quantã indicet animi vir- tutem hirſutum hoc molliter, & perbreue cor, ſed capacita- tis eximiæ, cum vtramque cordis notam excelſæ monu- mentum animæ antiquitas erudita profiteatur. Ariſtome- nem certe Meſſenium humani miraculum roboris admi- rari maiores noſtri deſierunt, vbi piloſum, & ſcabrum

cor

cor in diſſecto pectore repertum eſt. Et tamen ille trecẽtos viros; & quos, Deus immortalis, quos viros! nempe Lacedæmonas plures numerare ſolitos victorias, quam dies, neque vllo viſos tempore non triumphales; tantos vnus profuderat, mactauerat, deleuerat. Sed prodigij loco non habuerunt inuſitatam viri fortitudinem homines ſapientiſſimi, credo quod exiſtimarent magnum aliquid perpetratũ non eſſe, & concitata grandius expectatione ab illo milite, cui tot pila cor ipſum fabricauerat, quot pilos exacuebat; qui gladiolos haberet in corde, vt non poſſet non eſſe lethalis hoſtibus, qui vel in ipſa vitæ cuſtodia mucronatos crines, an crinales mucrones ſuppellectilem nimirum mortis cõtineret; cuius demum laudi verti poſſet, quod Eretrienſibus dedecori datum legimus *ὥσπερ τευτίδας, μαχαίραν μὲν ἔχειν, καρδίαν δὲ μὴ ἔχειν*. Noſtrum etiam heroem, veſtrum, Pauperes, cor Iuonem ad propulſandas diuitum impreſsiones, ad facinoroſos homines deterrendos valentiſſimum ſuſpicere intermittemus, ſed non amare; neque enim minus eſt illi iucundiſſimæ liberalitatis, quam inauditæ virtutis. Verum enimuero dulce cordis, & ſplendidum nomen comparaſſe ſe non credidit egregie cordatus Vir, niſi cuius obtinuerat locum, illius etiam vices, atque munus ſuſtinuiſſet. Parum ſiquidem eſt ampliſſimum ſortiri locum, niſi dignos ea fortuna mores, & parem virtutum cumulum præ te feras: neque præclarum eſt in ſummo dignitatum faſtigio collocari, at honores anteueniſſe facinoribus, at decorum acceſſione grandi cumulaſſe hoc virtutis opus, hoc peridoneum ad commendandum, ad imitandum difficile, ad admirandum ingens prodigium eſt. At qui, dum Iuonis in geſta inquiro, ſentio; quanto illuſtrius ille cor exhibet mu-

ne-

Digitized by Google

nere, quam loco retulerit; ſentio ingentium acclamatione meritorum pronunciari cor pauperum. Nimirum intellexerat oculatiſſimus, quia amantiſſimus, Heros præclare nomenclationi plurimum deberi virtutis; ea propter ſatis non habuit dici ſe cor, niſi quæcunque in reliquos artus à corde beneficia ponuntur, eadem abſolutiora in pauperes ſua membra conferret. Quid enim? quæ ſint in noſtro corpore cordis partes, quæ vis, quod officium, recenſe. Sanguinem primum effingere, deinde legere, tum diſpertire, poſtremo tenuare in ſpiritus, quibus vniuerſa corporis moles agitatur; conſeruare vitam æſtu ſecundiſsimò, eãdem humore ſoſpitali recreare labores ſunt cordis vel Herculeis triumphis inuidioſi. Hæc & his gemina peregit Iuo, confidenter affirmo. At pro ſanĉte Cœlitum Parens quanta hic exurgit oratio, quam exaggeratum innaſcitur argumentum dicendi. Verum ſi de corde verba faciens totus eſſem lingua, cordatus ipſe non crederer; in pauciſſima cogam ſeriem ampliſsimam rerum. Aurum quicũque prolixus in pauperes elargitur, næ ille ſanguinem æque ſolidum, ac ſplendidum ingerit vitæ liberalis, quod auri prodigus. Nouimus Regem Perſarũ Xerſem præiudicio ſummæ poteſtatis impotentiſſimum vite aurea donatum, forte vt intelligeret alendis innumerabilibus copijs nullos aptius apparari commeatus, quam aurum; & magni nominis Imperatorem Principi, quia non iniquæ virtutis, maximo non alium ſuccum eſſe, ſpiritumque militiæ ſemel, iterum ac tertio affirmauiſſe proditum eſt memoriæ, ac litteris. Poterat iudice me ſuccum humanæ vitæ, & vitam omnium hominum appellare. Etenim arctiſſima neceſſitudo, & affinitas vitam inter, atque aurum intercedit; vt factum ex

co

Digitized by Google

eo facillimus crediderim Ægyptio Hieroglyphico exordiũ, quo prudentiſſimi Sacerdotes æternitatem ſcilicet nullis circumſcriptam finibus vitam aureo orbe deſignabant; eaque propter conſultiſſimi Vatum immortalibus epulis, & inanium Deorum mero colorem aureum adiudicarunt. Quin Sinicus ille veterator æternandæ vitæ pręclarus enimuero magiſter pharmacum auro multo medicatum fabricatus eſt, quod præuideret auro, quamquam habeat abundè mortis in pallore ſuo, vitalem ineſſe vim, cum illius de regio ærario per ſummam impudentiam detracti beneficio tam luculenter ipſe, pulchreq. vixiſſet. Adde quod cum auro comparentur præſidia viuendi omnia, vitam ipſam metallo omnium præſtantiſſimo debemus, forte vt noſtrorum nos non pudeat temporum, quibus auro conſtans, auro firmata aurea plane ducetur, & pretioſa vita. Sed o tuam Iuo beatiſsime ſalutarem munificentiam, o vitalem liberalitatem! Illa vis auri ingens, copioſa, prolixa, quam in egenos Diribitor non incurioſus diuidis nouum genus eſt ſanguinis ad tuendã periclitantium vitam, ad habendam mollius calamitoſorum manum diſpertiti. Perennis origo probabilium largitionum, quæ tam multa in capita per tacitos canales deriuatur, quæſo te, quid aliud ędocet, niſi te Cor pauperum eſſe, cordis enim ſingulare munus eſt per cęcos venarum meatus non obſcura beneficia diſpergere. Et quamquam minime appetens laudum caput illius beneficentiæ ad Diuinitatem pertinere confirmet, aſſeram tamen ex eo quoque Iuonis aurum ſanguinem eſſe pauperum vitę ſalutarem, quando in auraria Diuinitatis metallico Magiſtro Amori nouum non accidit ſanguinem pro auro defodere, qui vt noſtræ libertatis pretium ſolueret manu miſſu-

ro Deo cruorem omnem corporati Numinis vere foſſor expreſsit. Abde tamen artificio meliori, quam Dædaleo repoſitas in latebras; abde immenſæ caput, Iuo, liberalitatis; quo de fonte diſcurrat aurifer iſte ſupra Pactolum, & Tagum ſanguis, niſi de corde beneficentiſſimo? Vnum habes pauperum grande cor humano cordi ſplendide diſſimile, quod nihil acceptum membris referre poſſis, expenſa omnia feras, cum hauſto alimento de Cælo vitalem illis ſuccum, & excoctam vitam ſuppedites. Quam enim non raro Aud. prodigioſa benignitate Numinis immortalis habuit Iuo, quod miſerabilem, & fere morientem in turbam profunderet; quoties officina illa vitæ aurum non dediſſet, niſi diuini calor amoris, qui de lapidibus creare poteſt filios Abraham, aut aurum, aut ſanguinem arida pumice eduxiſſet, quem prolixa deinde manu partiret Iuo, vt manum illam liceat appellare venam, & auri, & ſanguinis, & quidem, vt aiunt, portam, niſi cognita ſatis hæc eſſet, at vix ipſa donantis manus ſciret, quid cogitaret, vt Chriſtianas beneficij leges ſartas, tectaſq. tueretur. Etenim conatus omni ope eſt ne munus rumor imminueret (non creditum ſane periculum) & in Senatu liberalium animarum Princeps cenſuit non exploratorum tantum, vt magni vir nominis credidit, verum etiam multarum artem virtutum duobus illis limitibus contineri Scire, & neſciri. Sed exitu caruit, non præmio hic labor. Scilicet imber hic vitalis de Iuone veluti corde ſine murmure quidem, ſtrepituq. prolabitur (neque enim ante ſe tuba cecinit religioſiſſimus largitor) non tamen ſine nitore profluit, quia aureus eſt, & lucem ab ea manu nanciſcitur, quæ tenebras, vmbraſque beneficio parabat. Denique vitalis

eſt

eſt Iuonis munificentia, & ſatis habet lucis, quia vitæ ſortita multum eſt. Atque ego ſic audieram Aud. ſanguinem vehiculum eſſe vitæ; nunc illato auro vitam inferri qui neſciat, reuocet ille in mentem tot languentium centurias, tot claſſes extremum ſpiritum ducentium, tot copias, an populos exanimatorum, quos inuita morte inuictum Iuonis aurum à ſummo caſu, pernicieq. ſeruauit. Meo quidem iudicio tum aureo inuecta curru viſa eſt de morte vita triumphare & quidem in ſinu. I nunc & Iuonem denega cor excors vnus omnium maxime, ſi vitæ conſeruator eſt, ſi aurei ſanguinis officina eſt. I male ſanam pauperiem protrude; mihi non poteſt non eſſe cordata, cui ſit Iuo pro corde. Turpem egeſtatem iacta; mihi ſemper erit ingenua, ſemper inſignis, & florentiſſima nobilitate, quando illam aureum Iuo cor bulla præſtantiore condecorat. Tu vero vitale maxime cor debueras, quod imitatum viuendi genere eras, humanum cor imitari quoque ſub fato, & artuum omnium mori poſtremum, vt nunquam careremus Iuone pauperum corde, qui ex oraculo Diuinæ ſapientię pauperes Iuonis membra nobiſcum ſemper habebimus. Sed amoris artificio formatum cor transferendum ad Chriſti cor fuerat, vt habeat in poſterum pro corde IESVM, qui vitam antea agens Cor pauperum fuit. DIXI:

A

L D V

S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google